



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Res. Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus,  
subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum;  
foris interficit gladius, & domi mors similis est. Thr. 1. v.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



## DISCVRSVS XLIII.

Res.

Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subuersum est cor meum in memetipsa. *Thren. c. 1. v. 20.*

### D E E C C L E S I A.

*Plangit, quòd mundus totus horridum, & confusum sit desertum.*

I.  
*In urbe  
& horto.*

*Ordo pulcherrimus.*

**I**N urbe, seu civitate ordinate omnia solent esse disposita, mœnia turribus, ac portis proportionatâ altitudine distincta, platea recta, ac lata pulchro ordine disposita, domus æquali proportione constructa, officia quoque ordinate inter cives distributa, ut suis quisque negotiis pertractandis, sciat, quem convenire, & ubi se insinuare debeat. Non minus in hortis regijs, pulcherrimo omnia ordine sunt disposita, ambulacra ad lineam sibi invicem correspondentia, areolæ ad amissim distincta, flores & arbores exquisitissimo modo ordinate constituta, portalia & sepes pulcherrimo spectaculo regulate, aditum præcludunt feris, ne tubiâ irruptio-

ne factâ, ordinatam horti venustatem subvertant.

At in silvis, eremis, solitudinibus, & desertis, nec via, nec platea, nec aditus, nec exitus, nec distinctio certa arborum, fruticum, habitationum, nec orderarum inhabitantium: sed omnia dumetis, vepribus, fruticibus, arboribus infructiferis, & in viis paludibus, feris quoque ad libitum hinc inde sine ordine vagantibus & savientibus confusa sunt.

Urbs pulcherrima & regulatissima erat Jerosolyma, de qua David: *Gloriosa dicta sunt de civitate Dei;* Civitas enim magni Regis, etiam ab ipso Dei Filio vocatur: Erat & ipsa tempore regum suorum floridissima, & qualiter

*In deserto, confusio.*

*Psal. 86. 2  
Math. 5.*







mundi hujus amplum conspice-  
re theatrum posset, tunc non  
solum montium, valliumque si-  
tus, campum & nemorum va-  
rietatem, marium & aquarum  
amplitudinem, sed ipsorum  
etiam hominum, piscium, &  
animalium inter se concertan-  
tium pugnas, & rapinas clarè  
intueri posset. Sic etiam nos  
miseri mortales in profunda  
ignorantiæ, & cæcitatibus valle  
constituti, mundi hujus, in ma-  
ligno positi, statum non agnos-  
cimus: quare hortatur nos S.  
Cyprianus: *Paulisper te crede sub-*  
*duci in montis ardui verticem celsio-*  
*rem; speculari inde rerum infra te*  
*iacentium facies, & oculis in diversa*  
*porrectis, ipse à terrenis contactibus*  
*liber, fluctuantis mundi turbines in-*  
*tuere. Iam sæculi & ipse misereberis,*  
*tuique admonitus, & plus in Deum*  
*gratus, maiori letitia, quod evaseris,*  
*gratulaberis. Cerne tu itinera la-*  
*tronibus clausa, maria obsessa prædo-*  
*ribus, cruento horrore castrorum bel-*  
*la ubique divisa; madet orbis mutuo*  
*sanguine. Tanquam feræ silve-*  
*stres inter se mutuo homines*  
*decertant. Quidni ergo agnos-*  
*camus nos agere in deserto?*

III.

In principio mundus totus Pa-  
radiso similis videbatur, in quo  
primi parentes tanquam Ange-  
li, statu innocentia dotati, ver-  
sabantur, accurata animalium,  
imò creaturarum omnium obe-  
dientia honorati, ac terra ex se  
producente fructus suos. Sed

post commissam à primis paren-  
tibus, contra Deum, inobedien-  
tiam, maledicta terra germina-  
re spinas & tribulos, feræ non  
tam in se invicem, quàm homi-  
nem insurgere, & homines ipsi,  
quasi bestia, se invicem perse-  
qui mordere, & jugulare cœpe-  
runt.

Hisce malis obviasse vide-  
tur Nemrad, qui erat robustus ve-  
nator coram Domino. Hic homi-  
nes tanquam feras, vagabundos  
subegit, ac collectos politico  
subjecit regimini, in quem fi-  
nem civitatem Babylonem ex-  
truxit, in quadro ædificatam,  
ita ut quivis angulus 8. leucas,  
sive horas haberet in longitudi-  
ne, adeoque tota urbs in circui-  
tu 32. leucas. Unde eam Ari-  
stoteles magis regionem mura-  
tam, quàm civitatem nominan-  
dam dicit, ob ejus amplitudi-  
nem; hanc homines concives  
habitabant primam civitatem,  
à civium unitate sic dictam: tur-  
ris autè ipsa Babylonica 4000.  
passus in altitudine habuisse  
scribitur. Posthæc multiplicato  
hominum numero Assur civi-  
tatem Ninive (tempore Jonæ  
ad trium dierum iter exten-  
sam) fundavit. Susa, regia erat  
civitas Persarum, ineffabili &  
plus quàm regio ornata, ac luxu  
per Regem Assuerum exculta.  
Caput totius Asiæ fuit Troia,  
decennali obsidione, sed pro-  
prijs flammis illustrior. Iudæo-  
rum

Extolla-  
mus nos  
in montem.  
S. Cyp. l.  
2. epist. 2.

Mundus  
spinas hor-  
ridas,  
Sine ordi-  
ne habi-  
tatur.

Gen. 10.  
v. 9.



rum, inò civitas magni Regis, erat Jerosolyma, Templi à Salomone extructi majestate famosissima. Destructa Troiæ successit Roma, orbis caput, ac domina, quam lateritiam inventam, moriturus Augustus, matremoream relinquere se jectavit, ita floridam ac pomposam, ut sepositis omnibus orbis miraculis, Romam in flore maxime se videndam oprasse, Augustinus testetur. Ex quibus omnibus colligi videtur, præeunte Nemrou, ac subsequentebus reliquis monarchis, politica hierarchia, atque insignibus civitatibus, pompositque structuris mundum, ex deserto, in novum transplantatum fuisse hortum & paradysum.

IV. Sed paulatim, ò Christiane, attollas te in ardui montis verticem, & à terrenis sublevatus, mentis oculis, mundi intra te jacentis faciem speculari, & magnas hæc gentium dominatrices urbes, latronum, & ferarum speluncas depræhendes, spinarum & urticarum horrore formidabiles. Orientur in domib. eius spina, & urtica, & paliurus in munitombus eius. Et erit cubile draconum, & pasqua struthionum... Onocrotalus, & ericius, & ibis, & corvus habitabunt in ea.

Bone Deus! quales illi tyranni, urbium dominatores erant bubones, & formidandæ noctuæ? quàm pungentes ericijs, P. Franc. Josephi Op. IV.

qui acutâ sua pelle & armis pauperulas ex suis expulere tugurijs? Quàm fœrudi corvi, non nisi hominum cadaveribus saturati? Quàm venenati, & ira, ac furore accensidracones? Quàm tremendi struthiones, etiam durum ferrum in stomacho conscientia sua facile concoquentes? Ha fera & cruenta bestia è terra quasi horridû fecerunt desertû, uti de superbo, & crudeli Babyloniorum Rege Balthafaro Isaias loquitur: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & urbes eius destruxit. Nec mirandum de bestiali regis hujus crudelitate, nam sicut fortes creantur fortibus & bonis, uti canit Horatius, sic à cruenta bestia Nabuchodonosore non nisi horrenda, & fera bestia potuit generari. Et quidem de hoc Jeremias: Percussit eos leo de silva, nempe Rex Nabuchodonosor, ubi expositoress explicant: Lupus ad vesperam vastavit eos; Pardus vigilans super civitates eorum. Quamvis aliqui has bestiales qualitates omnes tribuant Nabuchodonosori, Jerosolyman devastanti, & orbem in desertum convertenti, ita ut dicatur leo per ferociam, lupus ob avaritiam, & voracitatem, pardus ob capiendi dexteritatem, & celeritatem; tamen non desunt alii, qui per lupum Persas & Medos, per Pardum autem Alexandran,

A a a





drum Magnum intelligent, licet Doctor Angelicus, & Lyranus per Pardum accipiant Antiochum Epiphanem, bestiali furore in Judæos savientem.

V. Vidit etiam Daniel Propheta, Dan. 7. 2. quatuor ventos cali in mari magno invicem pugnantés, & quatuor

*Quatuor bestie grandes ascendebant de mari, diverse inter se.*

*Monarchia.*

*Nabuch: Leo.*

bestia quasi leæna, alis munita aquilæ, sed tamen evullis alis hæc bestia quasi de terra sublata est, sed demum iterum super pedes, quasi homo stetit. Leæna hæc savissima fuit Nabuchodonosor, sub quo prima Monarchia Chaldaica, fuit potentissima; supra homines hic evolare, & divinum sibi arrogare nomen præsumens, evullis quasi alis humiliatus, ex hominibus, & inter bestias abjectus est: Et fenum ut bos comedit, & rore cali corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & unguis eius, quasi avium. Ut totus scilicet mundus agnosceret ex hac externa tyranni specie, quàm cruenta fuerit bestia, faciens orbem desertum, urbes destruens, Jerosolymam in cineres redigens, ac totam Palestinam cum adjacentibus Regnis & Provinciis devastans. Licet finaliter iterum quasi homo steterit, & cor hominis datum sit ei, postquàm oculis in calum levatis, superbiam ac ferocitatem deponere, atque altissimum agnoscere, benedicere, & poenitere cœpit.

*Ad bestiam cœlestem.*

Dan. 4. 30.

Et ecce bestia alia similis urso, hæc bestia fuit Monarchia Persarum & Medorum. Et tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, nempe tres ordines, seu species carniæ & escarum, tria scilicet imperia, Babylonicum, Medicum, & Persicum, quæ sub Cyro in unam coaluerunt Monarchiam. Et huic urso acclamatum fuit: Surge, comede carnes plurimas. Quia fera hæc savissima laceravit Leonem, regem scilicet, & magnates Chaldaeorum, & gladius eius devoravit carnes humanas plurimas.

Huic bestie successit tertia, quasi Pardus, & alas habebat quasi avis; sunt, qui Pardum idem cum Panthera animal esse censeant, ferocissimum simul, ac velocissimum, hæc Monarchiam Græcorum sub Alexandro Magno designat, qui instar Pantheræ victorius velocissimus totum, paucorum annorum spatio, orbem suis subegit armis, & Ursum (Medos scilicet, Persas, ac Babylonios,) detractâ pelle excoriatum discerpserit.

VI. Quartam bestiam quasi nobis terribilitate sua incognitam, certo nomine Propheta non compellat, Et ecce bestia quarta terribilis, atq; mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans. Quarta hæc fuit Romanorum Monarchia, quæ sub regibus fundata, sub consuli-

bus



bus propagata, sub Decemviris ampliata, demum sub Julio Cæsare, & succedentibus sibi Imperatoribus, ac Cæsaribus ex Republica in summam exurrexit Monarchiam. Ferocissima & terribilis fuit hæc bestia, ferreis quasi dentibus, magnis scilicet, ac fortibus exercitibus munita, quibus Reges terræ comminuit, ac carnes humanas infatigabili furore devoravit. Ita, ut de Julio Cæsare solo testetur Busæus, ab eo, in omnibus præliis à se commissis, ad decies centena millia (hoc est, integram millionem hominum,) fuisse occisa, qui eò semajorem inter homines astinabat, quò majorem hominum numerum instar bestia comminuisset, reliqua pedibus suis conculcans. Consumpsit hæc bestia Pardum, Monarchiam Græcorum, & quas de Urso, & Leone invenit reliquias, consumpsit. Quis ergo mundum negaverit malum esse desertum, horribile, & timendum.

Et quid posthæc crudelitatis non in orbe terrarum exercuerant savissimæ bestia, & tyranni? quot cruenta hinc inde prælia? quæ immanitates commissa? An non Valerianum Imperatorem captum Sapor Persarum rex sibi equum concensuro scabellum, & demum (vivum excoriatum, & in frustra dissectum,) fale fecit condiri? Idem inter Tamberlanem regem Tartarorum, ac Bajazetem Turcarum Imperato-

rem actum, dñi ille non solum hoc pro scabello pedum usus est, sed etiam tanquam bestiam ferreæ caveæ conclusit. Ut alias multas similem immanitates bestiali furore ab hominibus in homines exercitas, dum tanquam in formidabili, & horribili deserto, homines, Dei cognitione privati, tanquam fera bestia discurrerent.

Respexit oculis misericordie hunc miserabilem, & horribilem mundi, quasi deserti, statum benignissimus Deus, atque ad excolendum desertum, & à feris bestiis liberandum, proprium Filium suum misit. Hic aratro sacratissimæ Crucis terram proficissam, proprio sanguine rigavit, & Evangelicæ doctrinæ semen sparsit, à discipulis suis porrò in toto terrarum orbe disseminandum, eradicationis idololatriæ, & infidelitatis zizaniis. Ad bestias quoque cruentas cicurandas, Apostolos suos misit, sicut oves in medio luporum. Sic Apostoli agnina mansuetudine domuerunt lupinam ferocitatem, ait S. Bonaventura; juxta Isaia prophetiam: *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas, non nocebunt, neque occidendi in omni monte sancto meo, dicit Dominus.* Hoc est, (exponit Hugo) *Lupus, id est ille, qui prius raptor fuerat & persecutor, ut Paulus; & agnus, qui semper fuit mitis & innocens, ut Ananias; pascentur simul, in Ecclesia, celesti pabulo. Et leo & bos comedent paleas, id est, Princeps secularis &*

VII.  
Dei Filius mundum excoriat.

Luc. 10. 3.

S. Bonaventura in Lucam hic. Isa 65. 25

Bestia cicurata & mansuetifata. Hug. Card.

tyran-

Inl: Cæsare  
suo loco  
hominibus  
videtur.

Busæus  
medit. 7.  
de miseria  
humana.

Valerian.  
excoriatum.

Bajazetes  
corve in  
Asia.



tyrannus, & populariū homo pascen-  
tur eisdem eloquiis divinis. Vel, se-  
cundum Glossam Interlinearem,  
leo & lupus conversi ad fidem, princi-  
pes & tyranni non nocebunt ag-  
nis & bobus, in omni monte san-  
cto meo, id est, in tota Ecclesia,  
(prosequitur Hugo,) quod imple-  
tum est, quando Reges & Principes,  
qui prius erant tyranni, & occisores  
Sanctorum, defensores eorum facti  
sunt. Concludit ad hoc proposi-

Cornelius  
hic.

Act 4. 32.

Mundus  
ex deser-  
to

Frugifer  
campus.

Isa. 35. 1.

v. 7.

VII.

tum Cornelius: *Quia regnabit cha-  
ritas in Ecclesia, & regno Christi.*  
prout in actibus Apostolorum le-  
gimus: *Credientium erat cor unum,  
& anima una.*

Sic domitis feris, & gentili-  
tatis spinis eradicatis, pace, sub  
Constantino Imperatore, Eccle-  
siae redditā, mundus ex horribili  
deserto, in floridissimum ac fru-  
ctiferum campum, ac paradysum  
terrestrem converti visus est,  
ampliatū semper Ecclesiae termi-  
nis, & ad terrā usque fines pro-  
ductis, dum ambulabant gentes  
in lumine ejus, & reges in splen-  
dore ortus ejus, sic ergo letabi-  
tur d. terra, & in via, & exultabit so-  
litud, & florebit quasi lilium. In cu-  
bilibus, ubi prius dracones habita-  
bant, orietur viror calami, & junci.  
Non erit ibi leo, & mala bestia non  
ascendet per eam. Ut verbo absol-  
vam: *Non occident in omni monte  
sancto meo.*

Sed pro dolor! non diu felix  
iste Ecclesiae status duravit, nam  
dormientibus hominibus, SS. A-

postolis in morte, inimicus homo  
statim disseminare coepit zizania <sup>Zizania</sup>  
malarum doctrinarum, & hare- <sup>her. jun</sup>  
sum, inter quas primaria, Ariana, <sup>feminata.</sup>  
totum pene corrupit orbem. Ma-  
ximè autem in disseminandis dis- <sup>Bellorum</sup>  
cordiis, dissensionibus & bellis  
laboravit inimicus homo, quæ  
vix Constantino Magno è vita  
sublato inter filios excrevere, a-  
pertis simultatibus, & pugnis se  
invicem provocantes, stimulante  
maximè, & imperium contur-  
bante hæresi. Prodiit tunc nova  
bestia Magnentius, qui occiso <sup>Magnen-</sup>  
Constante imperium sibi usur- <sup>tus. pri-</sup>  
pans, magno cum exercitu adver- <sup>mus Chris-</sup>  
sus Constantium movit, sed cru- <sup>tianus,</sup>  
ento prælio victus ipse, & occi- <sup>contra</sup>  
sus est. <sup>Christia-</sup>  
<sup>nos pug-</sup>  
<sup>nati.</sup>

Primus hic aper de silva, &  
singularis feras fuit, qui Christia-  
nianus cum Christianis signa con-  
ferre ausus, fundendi Christiani  
sanguinis auctor, occidere incepit  
in monte sancto Ecclesiae. Sed <sup>Lam us-</sup>  
postea hujus ferocitatem Chri- <sup>tata rei</sup>  
stiani quique principes imitari nō <sup>est.</sup>  
veriti, nihil habuere utilitatis,  
quàm ut leonum, laporum, urfo-  
rum, & pardorum instar, in in-  
vicem defavientes, non huma-  
num solum, sed, quod maximè  
deplorandum, Christianum san-  
guinem, tanquam sanguinem fe-  
rarum, aut aquam funderent, ur-  
bes vastarent, ades sacras in ci-  
neres redigerent, monasteria Deo  
consecrata, solo aquarent, ra-  
perent, & prædarentur substan-  
tiam



riam pauperum, viduas & pupillos opprimerent; nonne hi immanes magis bestia, quam homines vocandi, qui terram faciunt desertam, comedentes carnes plurimas Christianorum?

Audite principes Jacob, & duces domus Israël, Ecclesiae. *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoxiaverunt, & ossa eorum confreguerunt &c.* Nec minus illud Davidicum moderno tempore verificatum: *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua: insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Et hoc non tantum magnates erga pauperes & subditos, sed ipsi etiam plebei contra se invicem exercent, ut deprudentur, & proximum persequantur ut leo, *per violentiam, & insidiantur per fallaciam.* Nec hospes ab hospite tutus.

IX.

Quid ergo mundus, nisi desertus?

Dum ergo infelici nostro saeculo orbis Christianus bellis exteris & intestinis, depraedationibus & insidiis plenus est, & homines à summo ad infimum, à juvene usque ad senem, tanquam leones rugientes, & lupi rapaces ad devorandum discurrent, se invicem lacerant, excoxiaverunt, & devorant, quid aliud agnoscere possumus cum S. Augustino, quam iter nos agere in deserto, & esse mundum (etiam Christianum) malum desertum, horribile, & tre-

mendum. Accedit, quod falsorum dogmatum spinis & dumentis, Machiavellicarum politicarum deceptionibus, & fallaciis, discordiarum, competentiarum, & diffidentiarum vepribus, ita status politicus Romani Imperii, totiusque orbis Christiani sit confusus, ut instar deserti horridi, invii, & timendi, nulla humana manus, aut ingenii industria excolli, à rapacibus feris purgari, à confusionis horrore liberari, & in pristinam Romanam Monarchiam felicitatem, ordinem, ac quietem reduci possit. Quò magis confidentia agimus, ac diatras indicimus, ut ordines securitatis, & tranquillitatis pro Romano Imperio inveniamus, eò plus, tanquam in labyrintho, intricamur, & involvitur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Et tamen ex hoc deserto invio, & iniquo, ex horrore vastae solitudinis egredi non curamus, sed inter bestias & scorpiones diu habitare, nobis exoptatissimum est; amamus desertum, ubi nulla securitas, & negligimus paradisum, ubi verè tranquillitas; Inhaeremus deserto, ubi nullum solatium, parvipendimus celum in quo plenum est gaudium. Diligimus mundum, ubi sempiternus est horror; nec aspiramus ad patriam, ubi perfectus est ordo. Conglutinati sumus huic deserto cruentis horrido bestiis, nec cogitamus ad calum invitantibus

Nullus ordo securitatis, & tranquillitatis

X.

Et tamen in deserto libenter commoramur.



Egrediamur de deserto.

Pl. 119. 5

Hug. Car-  
dia, hic.

tibus angelis. Quid nobis, Carissimi, cum hoc deserto horribili, & tremendo? Ubi parvo hoc annorum, quibus viximus, spatio tanta vidimus, & experti sumus pericula, & mala animæ æquæ ac corporis, spiritualium æquæ, ac temporalium bonorum passi jacturam; quin demum lassati tot malis & periculis, huic deserto terga vertimus, & ad promissionem terram, Deo dace, nos convertimus? Quamdiu inter cruentas bestias, quamdiu in horrida confusione detinebimur? Heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar! Prolongatus est incolatus, id est, hujus sæculi peregrinatio, ait Hugo, quæ justis propter defectum bonorum, abundan-

tiam malorum, defectum justitiæ, inordinationem & confusionem, periculorum multiplicationem, corporis gravitatem, omnium rerum mutabilitatem, miseriæ multipliciter, tentationum assiduitatem, bonæ societatis paucitatem, & malorum multiplicationem, molestissima & gravissima accidere debet.

Quare emittamus è deserto vocem nostram in calum, & clamemus ad benignissimum Deum ac Creatorem nostrum, ut nos ex horrore vastæ solitudinis educere & in terram promissionis, ac paradisi caelestis, mediante divina gratia, & misericordia sua, introducere benignissime dignetur. Amen.

Quare  
miserans  
nobis esse  
molestus  
debeat?



DISC:





# DISCURSUS XLIII.

Res.

Subversum est cor meum in memetipsa. *Thr.*

Cap. I. v. 20.

## DE ANIMA.

*Desertum horridum, est cor hominis peccatoris, in quo a vidè venatur Deus.*

**F**Uis per varia pralia feliciter hostibus, fratres suos hortatus est Judas Machabeus: *Ascendamus nunc mundare sancta, & renovare;* *1. Mach. 4. v. 36.* Ut ergo totus exercitus ascendit in montem Sion, viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrii virgulta nata sicut in saltu. Quæ miseranda templi facies horrorem incussit Israëlitis, & tristitiam summam, ita ut in terram prostrati, scissis vestibus, & capitibus cinere conspersis, plangentes, & ejulantes clamarent in cœlum, constitutis postea sacerdotibus, qui sancta mundarent. Sed longè adhuc horribilior Civitatis sanctæ, maxime autem domus Dei facies erat, in ejus devastatione, & exultione tempore Je-

remia propheta: *Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa.* Quæ verba in sensu moralis, Glossa intelligit de anima peccatrice, doloribus variis vexatâ, cujus sanctificatio deserta est, id est: *Cor vacuum ab omni bono*, uti *Est cor* Hug. exponit: *subversum est cor meum, & in horridum desertum, (exustis portis, & virgultis sicut in saltu natis,) conversum.* Plangentes igitur, & pulvere vere pœnitentiæ conspersi ingrediamur subversum hoc, à peccatis, cor desertum, in illo venemur, ut illud mundemus, & renovemus.

Promittitur per Isaiam à Domino, *Vox clamantis in deserto, Isa. 40. 3. parate viam Domini.* Hæc vox in deserto, ad literam, fuit Practur-

Glossa  
ord. hic.

Est cor  
peccato-  
ris.

Hugo in  
Machab.  
hic.

Sanctifi-  
cario de-  
serta.



cursor Domini, qui baptismum poenitentiae praedicans in eremo, declaravit se, quod esset vox clamantis in deserto. Sed ne diutius inhaereamus literae (ait S. Thomas de Villanova) ad ipsum sensum spiritualem, ac motalem progrediamur. Itaque Desertum hoc, est peccator. Habet deserti conditiones, quia harridusest, & incultus, nullâ fruge commodâ seminatus, generat spinas, & tribulos, sentibus & vepribus densis pravarum cogitationum & desideriorum est obsitus undique, & fit habitatio bestiarum, & silvestrium, & ferarum, serpentium, & scorpionum; sicut ait Isaias: *Erit cubile draconum, & pascua struthionum, &c.*

Hoc etiam desertum in illis verbis tangit Propheta regius: *Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.* Id est, vox Domini concutientis per timorem, desertum, id est, hominem infructuosum, juxta moralem expositionem Hugonis: & commovebit, ad bonum agendum, desertum Cades, cor peccatoris. Et nota, quod cor peccatoris dicitur desertum propter quietatem, incultum per negligentiam, à seris inhabitatum, per monstruosorum peccatorum adinventionem. Et deinum, quia infructuosus arboribus est constitutum, per pravorum morum consuetudinem.

III. Examinemus singula. Primò igitur desertum, est cor peccatoris, quia sterile est per otiosita-

tem: Praesumit subinde nimium de seipso, anima humana, & jactabunda illis Isaiæ verbis gloriatur: *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.* Sed comminatur illi Deus: *venient tibi haec duo, subito in die una: sterilitas, & viduitas; ut non possis de cætero generare filios, id est facere opera, quae te ducant ad coelum.* Et viduitas: *ut amittas Christum sponsum.* Sic ergo anima fit vidua, quæ Christo sponso per charitatem conjuncta, erat domina gentium, & Regina; ob sterilitatem, & viduitatem conversa in desertum; Desertum quippe à deserendo dicitur. *Quanta solitudo* (exclamat Thomas de Villanova,) *ubi Deus non est? Quanta siccitas, ubi pluvia caelestis non cadit? Quae illam montium Gelboë maledictionem à Davide datam contraxit: Nec ros, nec pluvia veniant super vos. Quanta sterilitas, ubi deest calor solis, & cultus spiritus? Duo haec sterilitatem faciunt, defectus caloris, qui per solarium, radiatorum influentiam generatur, & carentia humiditatis ex defectu aquarum, maximè autem pluviarum & roris.* Unde per Psalterem Regium suspirans, exclamat anima: *In terra deserta, invia, & inaequosa, sic in sancto apparui tibi.* Licet ipsa met peccatrix anima horum omnium malorum causa sit, & origo, dum ad divinae gratiae radios, influxum, & rorem, nobis communicandum, paratissimus semper est Deus, quem tamen nos obli-



obstinata malitia repellimus, miseris nostris, siccitati & sterilitati condolente Deo, nam teste eodem sacro Antistite: *Huius deserto, non cessat Dominus loqui, ut commoveatur, & redeat; scilicet ad bene agendum, & fructificandum. Donec sterilis peperit plurimos.* Nam (uti bene observat Cornelius) anima peccatrix, ideoque bonorum operum sterilis, parit plurimos, cum solari divina gratia calore ac lumine irradiata, ac lachrymis poenitentiae rigata, multos fidei, spei, charitatis eleemosynae, abstinentiae, aliarumque virtutum actus producit, ut ipsa de sterilitatis suae sublevatione admiretur: *Et dices in corde tuo; quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens transmigrata, & captiva? Et istos, quis enutrivit? Ego destituta & sola: Et isti ubi erant? At è converso anima iusta, quae bonis operibus abundabat, in peccatum mortale prolapsa, adeo efficitur sterilis, & vidua, ut non modo opera bona, & meritoria non pariat, sed etiam jam parta amittat, superveniente ei una die, sterilitate, & viduitate, ut sit deserta simul, & sterilis. Hanc etiam sterilitatem passus David in anima sua, ingemiscit: *Retribuunt mihi mala pro bonis, sterilitatem animae meae.**

IV. Secundò, desertum est cor peccatoris, quia incultum est per negligentiam, de qua rectè Rex sapientissimus: *Per agrum hominis*  
*P. Franc. Joseph Op. IV.*

*pigri transivi, & per vineam stulti* Secundò  
*viri: Et ecce totum repleverant urticae, operuerant superficiem eius spinae, & maceria lapidum destructa erat.* est desertum, incultum per negligentiam.  
 Ager aut vinea, quae à colono negligitur, nec excolitur, non tantum nullos profert fructus, sed in summam tendit sterilitatem, & solitudinem; totaque silvescit, ut *Silvescit* in praeiitis vidimus bellis per regiones nostras, ubi ob cultorum, & agricolarum defectum integri agri, & campi ita inhorruerunt, ut excrecentibus non tantum juniperis, & dumetis, sed etiam iustae magnitudinis abietibus, betulis, imò & quercubus, densissimae apparuerint silvae, à feris inhabitatae, nullis agri, aut campi relictis vestigijs. Quod ergo per agricolarum defectum, aut colonorum negligentiam accidit in agris & campis, idem evenire solet in corde, & conscientia hominis, quam per agrum, & vineam intelligit Lyranns, cui etiam assentitur Glossa Ord. ex S. Gregorio his verbis: *Quam urticae & spinae replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria, & punitiones pululant vitiorum; & quem admodum ex negligentia colorum facile maceria vetustate, & tempestatum injuria corrumpitur, ea autem corrumpente, vinea, & ager ferarum devastationi patet, ac patens destruitur, sic etiam in homine murus & maceria destruitur, & ferarum, ( vitiosorum affectuum ) motibus & incursum*

i. Reg. 2. v. 5. Anima infra partem bonam operum.

II. 49. v. 21. Peccatrix est sterilis.

Et parta amittit.

Psal. 34. v. 12.

Prov. 24. v. 30.

Glossa Ord. Et corrumpit.





bus infestatur, cum incepta virtutum munimina, vel improbitate hominum deceptus, vel diaboli persuasione, quisque negligens perdit, ait Glossa. Nec minus accommodè ad propositum nostrum septuaginta hunc passum vertunt. *Tanquam ager vir imprudens, & tamquam vinea, homo egens sensu; si dimiseris eum, desertus fiet, & silvescet totus.*

*Ager visitandus.*

*Glossa Ord.*

*A Prælati.*

Quandoquidem ergo ipsi homines negligentes & insipientes, sibiipsis dimissi ita in corde suo silvescunt, necesse est, ut ipsi Patresfamilias, ac Prælati agrum visitent ac pertranseant, nam (ut loco præfato advertit Glossa) *Per agrum, vineamque pigri transire, est cuiuslibet vitam inspicere negligens, dum ergo transeundo, & inspiciendo, spinas, urticas, & zizania exorta, maceriem autem virtutum collapsam depræhendunt, hanc salubribus consilijs, ac doctrinis restaurare, illa verò per correctionem fraternam eradica-re debent, ne vinea, & ager totaliter in silvam excrescens, receptaculum fiat bestiarum.*

**V.**

Unde etiam Hugo notat, quòd cor peccatoris, est desertum, quia a feris habitatum, per monstruorum peccatorum adinventionem. Viderat Apostolorum Princeps in mentis excessu vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor ini-tijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terra, & volatilia cæli; & facta

*Act. 10. v. 11.*

*Tertio, Cor de-sertum.*

est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca. Varij variè hunc scripturæ passum, & figurationem explicant, aliqui per linteum totum terrarum orbem intelligunt, ex quatuor elementis, tanquam initijs compactum, in quo varia animalia, varij sunt hominum status. Vel ipsum etiam hominis peccatoris cor, & conscientiam denotare potest, ita ut per volatilia, peccata superbiæ, per ferpentia invidia, & iracundia, per quadrupedia avaritia, gula, & luxuriosa intelligantur.

Ubi ergo tot bestia morantur, quid aliud, quàm desertum esse potest? Et benedicitur cor desertum (ait Hugo) in quo quidem sunt leones superbiæ, gryphes iracundiæ, mures, qui omnia corrodunt, detractiois sive invidiæ, boves sive muli pigritiæ, & porci luxuriæ, ursi gulostati, vulpes dolostati, milvi rapacitatis, milvi, qui incarnantur in præda, scilicet tenacitatis. Uti etiam Isaias commemorat: *Requiescent ibi bestia, replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ulule in adibus suis, & sirenes in delubris voluptatis.* Ad has ergo bestias, & anima, surge, & occide.

Denique desertum est cor peccatoris, quia infructuosus arboribus est consuetum, per pravorum morum consuetudinem; arbor mala, non potest fructus facere, vel saltem non nisi malos. Quos ergo fru-

*Ob inha-bitantes bestiam.*

*Hugo Card. in Isa. c. 40. v. 2. Vena quales bestia.*

*ll. 13. v. 11*

*Quarto, Cor de-sertum.*



Ob infru-  
lituinas  
arbores  
pravoru  
morum  
S.Thom.  
Villan.  
ut.

fructus horridum hoc desertum,  
cor peccatoris facit? Demque  
(respondet ad propositum no-  
strum S. Thomas de Villan.) nul-  
lus fructus in eo, nisi glandes porco-  
rum, sed solitudo, siccitas, sterilitas,  
horror, & pavor, & fames inter  
glandes porcorum.

VI.  
Luc. 15.  
v. 16.

Deserti hujus infructiferi hor-  
rorem expertus fuerat filius ille  
prodigus, qui è paterna domo re-  
cedens, dissipata substantia sua  
adhæsit uni civium regionis illius,  
& inter summas famis angustias,  
pascendis porcis addictus, cupie-  
bat saltem implere ventrem de siliquis  
& glandibus, quas porci manduca-  
bant, & nemo illi dabat. Pascuntur  
animæ justæ rore, & manna cœ-  
lestis dulcedinis, & consolationis,  
sed anima peccatrix siliquis, &  
glandibus porcorum in hoc de-  
serto nutritur, nec tamen imple-  
tur.

Exod. 15.  
23.

Nec minor sitis quam famis in  
hoc deserto supplicium. Egressi  
è mari rubro Israelitæ, ambula-  
verunt tribus diebus per solitudinem,  
& non inveniebant aquam. Et vene-  
runt in Mara, nec poterant bibere  
aquas de Mara, eò quod essent amaræ.  
Desertum est cor peccatoris, vel  
desertum Sur, quod est in aquo-  
sum, vel desertum Mara, quod  
non habet nisi aquas amaras, unde  
ad hoc desertum optinè quadrat

Ier. 2. v. 6

illud Jeremiæ: Traduxit nos per de-  
sertum, per terram inhabitabilem,  
& in viam, per terram sitis, & imagi-  
nem mortis.

Agar ancillam, una cum puero Genes. 21.  
Ismaele, domo expulerat Abra-  
hamus, modico pane, & utre  
aqua scapulæ ejus, viatici loco,  
imposito. Oberrans ergo Agar  
in solitudine, cum consumpta esset  
aqua in utre, abiecit puerum subter  
unam arborem, quæ ibi erat, & abiit.

Abraham (observat hîc Cardina-  
lis à S. Caro) id est, Deus Pater, si-  
lios suos tradidit Christo docendos;  
sed filios Agar, id est, mundi amato-  
res, tradidit mundo: Mundus autem  
male custodit filios suos, quia errat,  
& ipsi cum eo. Erraverunt in solitu-  
dine in inaquoso, viam civitatis ha-  
bitaculi non invenerunt. Et dicit  
B. Bernardus hoc exponens: Hæc so-  
litudin superborum est, qui se solos re-  
putant, & se solos elevant &c. Sed  
& idem de reliquis vitijs intelli-  
gendum.

In hoc ergo deserto, deficien-  
te aqua, fame & siti fatiscentem  
filium projicit mundus subter  
unam arborem, arbor ista crux est  
(ait Hugo) subter quam cum miser  
homo videt, quod pater suus, mundus,  
& mater sua, concupiscentia, dere-  
liquerunt eum, fugit ad imitationem  
illius, qui in ea dormivit, & dominus  
assumit eum, sicut & latronem dexte-  
rum assumpsit. Pater meus, & ma-  
ter mea dereliquerunt me, Dominus  
autem assumpsit me. Derelicto pue-  
ro Ismaeli, & ejulanti, terga ver-  
terat Agar, Exaudivit autem Deus  
vocem pueri, quia sub arbore crucis  
clamantes exaudit Dominus, & su-  
per aquæ penuria exauditur puer,  
Bbb 2 Iudic

v. 15.

Hugo  
Card hic?

Agar  
mundus.

Psal. 106.  
v. 4.

Errat cõ  
suo filijs

Peccator  
à mundo  
sub cruce  
abiectus.

sal. 25.  
v. 11.

Hugo  
ibidem.





A Deo  
suscepitur  
& refici-  
tur.

Iudic. 1. *Axa insidens asino impetra-  
vit à patre irriguum superius. Hoc  
est (pergit idem expositor) quoddam  
anima carnis mortificationem insidens,  
impetrat à Deo aquas devotionis,  
compunctionis, & etiam aquas spiri-  
tualis intelligentie.*

VII.

Vocat  
Deus è  
deserto.

Imò antequam ejulans, &  
flens ad Deum vocem emittat è  
deserto suo anima peccatrix,  
jam intonat vox clamantis Dei  
in deserto, non cessat Dominus lo-  
qui (ut superius Antistes Valen-  
tinas insinuavit) ut commoveatur  
desertum Cades. Surge, ó peccator  
(glossatur Hugo) tolle puerum, &  
tene manum illius.

Nihil ita periculosum homini,  
præsertim adhuc puero, quàm  
in deserto invio, & in aquoso  
oberrare solum, & obdormire  
inter feras bestias. Hujusmodi  
curam non habet mundus, sed  
errantes in periculis, & obdor-  
mientes deserit: Christus autem  
voce sua excitat, & extra ja-  
ctum arcus, seu sagittæ non re-  
cedit, Arcus, est divina commina-  
tio, ait Hugo, qui etiam supra  
cap. 40. Ita, addit: In hoc deserto  
(id est, in corde deserto pecca-  
toris) Dominus tendit arcum, quan-  
do fuerit iudicij pœnam comminatur.  
Unde Psal. 59. *Dedisti metuentibus  
te significationem, ut fugiant à facie  
arcus. Ab hoc arcu exit sagittæ ti-  
moris, faciens in corde vulnus con-  
tritionis, quando scilicet cor pec-  
catoris (desertum Cades) non*

Hugo  
Card.  
Tendit  
arcum  
commina-  
tionis.

commovetur, & concutitur à  
voce Domini suaviter revocan-  
tis, timere docetur, & commo-  
veri ab arcu sagittæ vulnerantis.  
Et siquidem fera è deserto cor-  
dis migrare nolint, iisque ex-  
pellendis insufficientis sit peccator,  
venari eos ipse Dei filius infati-  
gato labore contendit.

*Psallite Domino (jubet Prophe-  
ta regius) Annuntiate inter gen-  
tes studia eius.* Et quænam hæc  
studia? *Multa* (inquit Hugo Ca-  
rensis) fuerunt studia Domini. Pri-  
mum fuit studium pictoris, forma-  
vit enim nos ad imaginem, & simi-  
litudinem suam. Magno enim studio,  
& diligentia formavit nos Deus, unde  
quasi studens, & deliberans ait: *Fa-  
ciamus hominem.*

Studuit etiam piscationi, atque  
hoc studium continuandum exo-  
ptans, reliquit post se studentes  
huic arti, discipulos suos. Insu-  
per præter studium aucupis, pu-  
gilis, sophistæ, custodis, maxi-  
mè etiam studuit Dei filius ve-  
nationi. Quare Hugo affirmat:  
*Secundum studium eius, fuit Venato-  
ru.* Venatus est enim nos per se,  
& per alios.

Avidus erat carnis ferinæ ad-  
huc in summa sua senectute  
Isaac, quare jam caligantibus  
oculis, & morti vicinus, voca-  
to ad se filio ait: *Tolle arma tua,  
& phararam, & arcum, cumque  
venatu aliquid apprehenderit, fac  
mibi inde pulmentum, sicut velle me  
nostri.*

VIII.

Ps 9. v. 14.

Hugo  
Card.  
Deus pi-  
ctor.

Venator.

Genes. 27.  
v. 3.



Hugo ubi supra. Jerem 16. v. 3. Predicatorum Venatores. Fera peccatores. *Christus plus delictis in cū hominibus.* Prov. 8. v. 31. Hugo hic Quam Angelis.

noſti. Isaac, id eſt, Deus Pater, dicit hoc Filio; ait Hugo: Per arcum ſignificatur prædicationis, per pharetram ſcientia Sacræ Scripturæ, per ſeras, peccatores. Poſthæc mitram eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. In montibus enim, & collibus & cavernis ſolent ſeræ habitare. In monte notatur ſuperbia, in colle lubricum carnis, in caverna petrarum avaritia, propter doſiſitatem, quæ eſt in acquirendo, & duritiam in recipiendo. Et de hiis tribus peccatis debent venatores, id eſt, prædicatorum, extrahere peccatores.

Debent enim Prædicatorum imitari ſtudium ſui Magiſtri, qui avidiſſimus fuit, & ſtudioſiſſimus venationis, adeo ut ad venandum de cælo in terram deſcenderit, conſtat in hoc ſtudio animum ſuum refocillari: ut ludens in orbe terrarum venatione homines inſequatur, & ælicia meæ eſſe cum filiis hominum. Sed ranquid majores cum aulicis ſuis (miniſtrantibus, & aſſiſtentibus Angelis) habere poterat Dei Filius delicias? Imò verò reſpondet Cardinalis à S. Caro, Potius ſunt ei delicta cum filiis hominum, quàm cum Angelis, quia de hiis, quæ aucupio vel venatione, capiuntur, ſunt delicta ciborum, non de domeſticis. Quare avidus hujus ferinæ carnis Dei Filius, ſurrexit de ſinu Patris, & in deſertam

hujus mundi deſcendens, aſſumpſit arcum prædicationis, & ipſe quidem venatione prædicationis, & aucupio crucis cepit homines, die ac nocte ex nimio venandi deſiderio deſertum incolens, & ſolitudines, ductus etiam à ſpiritu in deſertum.

Serius ſubinde luſus, & periculolum ſtudioſum eſt venatio, magnatum ſæpe ac heroum ſanguine cruentata. Sic Aſtolphus Longobardorum Rex ab apro miſerè proſtratus, & occiſus eſt, quod idem noſtris temporibus contigit Nicolao Comiti Zerinio. Falco Gallus, Jeruſolymorum Rex, lepuleſculum equeſ inſecutus, ex equo delapſus interiit. Baſilius Macedo, Orientis Imperator, à cervo inter venationem conſoſſus periit. Ludovicus Bavarus Imperator Romanus urſum citato equo inſecutus, ſubita apoplexia tactus, moribundus ex equo decedit. Grimoaldus Longobardorum Rex, dum ad jaculandam columbam arcum tetendit, venam paulò ante inciſam, & tenera adhuc cuticula obducta rupit, tantumque effudit ſanguinis, ut ſimul cum iſto vitam emitteret.

Actæon (ſi Poëtis haberi fides poteſt) nimio venandi ſtudio, ac aviditate in cervum eſt commutatus, dum ſe lavantem Dianam, curioſius aſpexit, & ſic

IX. Majulus dierum Canic. colloq. 21. Exempla tragica Venationum.





à proprijs suis canibus uti non agnitus, ita discerptus, lugubri voce eos compellavit.

*Acteon  
à proprijs  
canibus  
discerptus.*

*Acteon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.*

Non meliorem in venando sortem, habuerunt venatores Evangelici, Joannes Baptista enim, Venator eximius, & continuus incola deserti, à porco, seu potius porca Herodiade occisus est. Apostoli venatores hinc inde à feris, & barbaris tyrannis jugulati lacerati, excoriati. Ipse quoque Dei Filius, arcum suum venaticum fortiter nimis in cruce tendens, ruptis venis, & toto effuso sanguine, cum illo & vitam fudit.

*Christus  
quasi  
Acteon.*

Nec multum me aberraturum credo, si illum non fictum, sed verum Acteonem dixerim, qui ex venandi aviditate in mundi hujus desertum descendens, ex pulcherrimæ Dianæ, animæ humanæ ad imaginem Dei factæ, aspectu, & amore in hinnulum cervorum mutatus fuit: *Similis est dilectus meus, caprea, hinnuloque cervorum.* Dum scilicet pelle caprina humanæ naturæ, formam Deitatis contexit, & sic à Judæis non agnitus, tamquam à savissimis canibus laceratus fuit.

*Cant. 2. v. 9.  
Vestitus  
pelle hu-  
mana.*

X. Nec tamen, tam sava per venationem expertus, adhuc à venandi desiderio desistit Dei Filius, sed à mortuis resurgens, adhuc venatur cum suis venato-

ribus in deserto mundi, & cordis humani; *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, & quidem ad venandum capere mihi vulpes parvulas, quæ demoluntur vineam.* Cave ò anima peccatrix fera pessima, ne hanc devites venantium vocem, & arcum, sed ipsa laqueis, telis, & vulneribus occurre, & capientem amplectere, si salutem tuam amas, nam

*Qui captus vivit, qui fugit ille perit.* *Qui capi-  
tur vivit*

Utique à Christo capi, quàm in horrido mundi deserto instar onagram vagari diutius, nobis consultius est.

Quodsi verò per desertum, ipsum cor peccatoris (uti ab initio dictum) intelligamus, adhuc venatorem agere Christus non gravatur; *in deserto, id est in corde* (ait Hugo) *Domnus enim quasi venator spiritualis clamat in corde per inspirationem, & can. seius venatici, id est, predicatorum per admonitionem.* Hunc venatorem, & canes venaticos ne repellas à deserto cordis tui, ò anima peccatrix, sed eos intromitte in terram desertam, locum horroris, & vastæ solitudinis, unà cum illis scrutare leones superbos, gryphes iracundas, mures mordaces & detractorios, mulos pingros, apros lascivos, ursos gulosos, vulpes dolosas, milvos rapaces &c. Scrutare insequere, surge,

*Hugo in  
Hic. c. 40.  
cit.*

*Venatio  
ferarum  
in deserto  
cordis.*



surge, & occide, & purga à for-  
dibus bestiarum, desertum cor-  
distui, ut eiectionis hinc feris san-  
cta renouentur, mundentur, &  
excubili draconum & struthio-  
num, domus, & templum Dei

mundum efficiatur, quod divina  
majestas inhabitare desiderat,  
hic misericorditer per gratiam,  
& ibi magnifice per gloriam  
in omnem aternitatem.

Amen.



## DISCURSUS XLV.

Res.

Vide Domine, quoniam tribulor; contur-  
batus est venter meus, subuersum est cor meum  
in memetipsa, foris interfecit gladius, & domi  
mors similis est. *Thren. 1. v. 20.*

### DE ECCLESIA.

*Ecclesia olim per unitatem fidelium adificata,  
plangit, se modo per discordiam destrui.*

**F**ormaturus Deus Adæ tu dignum venit, quod Deus nõ  
adjutorium simile sibi, formasse, sed ædificasse ex costa *Figurat*  
tulit unam de costis ejus, Evam dicitur, sicut enim domus *Ecclesiam*  
dormientis, & ædificavit suis constat partibus, & compa-  
Gen. 2. 22. Dominus Deus costam, quam tulerat gibus, tricliniis, & officinis, ita  
Eva ad de Adam, in mulierem: Per Evam & corpus suis constat membris,  
frata non dormientis, & ædificavit & officinis, ad exequendum vel  
formata. ex latere dormientis viri for- chylum, vel chymum, vel san-  
matam, seu ædificatam, in sensu guinem, vel spiritus vitales, &  
allegorico figurari Ecclesiam, & animales, &c. Quæ officina, nisi  
concorditer affirmant Doctores, sibi invicem correspõdeant con-  
quæ quasi ex latere obdormien- sensu sympathetico, tota homi-  
tis per mortem, Christi Cruci- nis artificiosa structura cor-  
fixi, formata, vel potius ædifi- ruit.  
cata fuit. Nam imprimis nota-

Cum



Cuius  
membra  
domum  
Dei con-  
struunt.

Varia in  
ea officina

Glossa  
Moralis.  
Foris  
intra tur-  
bata.

Cum ædificata maximè Eva, feliciter constructa est, ita ex eo-  
rum discordia se dissipandam,  
id est, Ecclesia dicatur, eam in  
domum Dei construendam do-  
cere voluit Deus, ad quam fide-  
les tanquam membra, & tanquã  
lapides vivi invicem uniendi  
concurrerent, in suas distribu-  
endi officinas. Sed hæc mem-  
bra, & officinas non debito si-  
bi invicem ordine, & amore  
coherere plangit Ecclesia, *con-*  
*turbatus est venter meus, subversum*  
*est cor meum in me metipsa.* Hugo  
per ventrem intelligit simplices;  
Glossa moralis, Prælatos, & divi-  
tes, per cor, Religiosos. Nec in-  
congruè etiam ventrem, seu ven-  
triculum, qui chylum coquit, in-  
telligi possunt, subditi simplices,  
qui chylum & nutrimentum la-  
bore suo coquunt toti corpori,  
chymum coquunt ministri, & of-  
ficiales, sanguinem, in omnes dif-  
fundendum venas; Principes ac  
Magnates, Spiritus animales &  
vitales, Clerici, & Religiosi &c.  
Sed hæc membra, & officinarum  
structuram malè sibi coherere  
plangit Ecclesia, *conturbatus est*  
*venter meus, subversum est cor meum*  
per discordias, & bella non tam  
externa, quàm interna, *foris inter-*  
*sicut gladius, scilicet infidelium ab*  
*exit a Christianos persequentium, &*  
*domi mors, id est, intra Ecclesiam, per*  
*guerras Christianorum.* Hæc qui-  
dem fidelium conturbatio, est in-  
fidelium exultatio, sed summa  
Matris Ecclesie afflictio, quæ  
sicut ex unitate fidelium citò, &

rum discordia se dissipandam,  
gemendo præsumit.

Ad fabricam feliciter profe-  
quendam, & citò absolvendam,  
summopere conducit, imò ne-  
cessarium est, ut junctis animis,  
viribus, ac manibus ad opus con-  
currant omnes, quorum interest,  
illique strenuè, indefessè, maxi-  
mè autem concorditer, insistant.  
Sic fecerant olim Israelitæ in re-  
parandis urbis & templi sacri rui-  
nis, adhortante, & confortante  
eos generosè Nehemia: *Ves nostis*  
*afflictionem, in qua sumus, quia Jeru-*  
*salè deserta est & portæ eius consum-*  
*ptæ sunt igni; venite, & ædificemus*  
*muros Ierusalem.* Et rursus: *Surgamus,*  
*& ædificemus:* Notat Glossa  
Moralis, quòd hoc Verbum est  
Christi ad discipulos, ad ædificatio-  
nem Ecclesie, per prædicationem, & ædificat-  
vitam bonam induemur eos. Nam  
quia vetus Jerusalem, scilicet Ju-  
daica Synagoga cum suo Testa-  
mento Veteri, adveniente veri-  
tate, unà cum umbra, & figuris  
suis corruisset, nova ædificanda  
erat Ecclesia, & Jerusalem, quàm  
se in extasi vidisse testatur Apo-  
calyptica aquila: *Ego Ioannes,*  
*vidi civitatem sanctam Ierusalem,*  
*novam descendentem de caelo &c.*

Magnam in ædificatione illa  
contradictionem, & persecutio-  
nem passi fuerant Iudæi à genti-  
bus vicinis, qui partim indignan-  
do, partim ridendo dixerant: *1. Efd. 4.*  
*Quid Iudæi faciunt imbeciles? Num-*  
*quid*



Glossa  
moral.

Judai ri-  
dem hanc  
structurā.

v. 8.

III.

v. 18.

Ecclesia  
aedificatur

quid aedificare poterunt lapides de a-  
 cervis pulveris? .. Aedificent. Si ascen-  
 derit vulpes, transiliet murum eorum  
 lapideum. Per gentiles illos Sana-  
 ritanos, Amonitas, Azotios, Ara-  
 bes, &c. populo Judaico, novam  
 civitatis fabricam molienti, illu-  
 dentes, Designantur sacerdotes, &  
 scribe Christum deridentes in Cruce,  
 ait Glossa Moralis, quae quidem de-  
 risis in suos discipulos redundabat; de-  
 ridebant autem de imbecillitate, di-  
 centes: Vah: qui destruis templum  
 Dei, & in tribus diebus reaedificas, &c.  
 Sed sicut Christo impossibile non  
 fuit reaedificare destructum tem-  
 plum corporis sui, sic etiam facile  
 illi fuit aedificare novam civita-  
 tem Jerusalem, Ecclesiam suam,  
 licet contra eam omnes insurge-  
 rent Judaei, & gentiles, sicuti de  
 illa aedificatione sua Nehemias  
 commemorat: Et congregati sunt  
 omnes pariter, ut venirent, & pugna-  
 rent contra Jerusalem, & molirentur  
 insidias. Nempe contra Ecclesiam  
 primitivam, uti moralis exponit.  
 Attamen sicut generoso operi  
 insistebat populus Israëliticus,  
 qui unā manu suā faciebat opus, &  
 alterā tenebat gladium. Et aedifica-  
 bant, & clangebant buccinā. Sic  
 etiam in primitiva Ecclesia nihil  
 gentium persecutione territi Apo-  
 stoli, & fideles, una manu fa-  
 ciebant opus, Ecclesiam aedifican-  
 do, & alterā tenebant gladium  
 mortificationis, aedificabant, &  
 clangebant buccinā, Verbum Dei  
 populis annuntiando. Hoc modo  
 F. Franc. Ioseph. Op. IV.

celeritate incredibili erigebatur  
 Jerusalem, quae aedificatur ut civitas. Pl. 127. 3.  
 Cujus Jerusalem? (quaritur mag-  
 num Africae lumen S. Augustin:) S. August.  
 Non quae Prophetas occidit, sed quae  
 constat ex Sanctis, tanquam lapidibus  
 viris. Quod idem confirmat Glos-  
 sa Interlinearis: Non saxorum mo-  
 libus, sed quae virtutum soliditate  
 consurgit; & Sanctorum societate,  
 nusquam dissolvenda construitur.  
 Hac societate, & unitate aedi-  
 ficabatur Ecclesia; Multitudinis  
 autem credentium erat cor unum, &  
 anima una. Quid ergo mirum? Si  
 magis augebatur credentium in Do-  
 mino multitudo: Vnitatem enim,  
 concordiam & pacem res parvae cre-  
 scunt, & firmantur. Unde maxi-  
 me de roganda pace mandat Pro-  
 pheta regius: Rogate, quae ad pa-  
 cem sunt Jerusalem: Hic agitur de  
 statu militantis Ecclesiae, ait Glossa  
 moralis, pro qua rogari jubetur Ie-  
 rusalem superna; fiat pax in virtute  
 tua, id est, Pax in Ecclesia militan-  
 te. S. Augustinus exponit: Fiat  
 pax in virtute tua, id est, Fiat pax  
 in dilectione tua: quia virtus tua,  
 dilectio tua. Audi Cantica cantico-  
 rum; valida est, sicut mors dilectio.  
 Magnificentius exprimi non potuit  
 fortitudo charitatis, quam ut diceret:  
 valida est sicut mors dilectio. Quis e-  
 nim resistit morti? Resistitur ignibus,  
 undis, ferro, resistitur regibus; venit  
 una mors, quis ei resistit? Propterea  
 viribus eius charitas comparata est.  
 Optatur ergo, & oratur, ut in Ie-  
 rusalem, militante Ecclesia, fiat  
 pax

C c c

pax





pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua: Et per istam virtutem, per istam dilectionem (ait S. Augustinus) per istam pacem, fiat abundantia in turribus tuis, augeatur, crescat, extruatur, erigatur, ædificetur & firmetur Ierusalem, Ecclesia Dei, ut civitas, in pace, in unitate, in dilectione.

IV.

*Hæc eludit omnes insidias.*

In ista virtute, quæ fortis est, ut mors, ignem tribulationis, undas persecutionis, ferrum tormentorum, minas potestatum, crudelitates Regum, & omnes gentilium, Iudæorum ac hæreticorum arietes superavit Ecclesia Dei, & per pacem, & virtutem dilectionis fortis, ut mors, effecta, prostravit Reges, ac Principes,

*Pl. 149. & ad faciendam vinctam in nationibus, increpationes in populo, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manibus ferreis. Nam fortis ut mors dilectio, pax, & unitas, insuperabilem fecit Ecclesiam. Ut murus, & structura fortis sit, etiam camento, ex tenaci materia præparato, lapides jungantur, & cohereant, necesse est; nam lapides quantumvis grandes, quadrati & politis, sine camento, siccum tantum, & instabilem constituunt murum, facili labore despicendam. Camentum spirituali Ecclesie structura, & jungendis vis lapidibus Christus pacem, & unitatem, seu dilectionem mutuatam constituit, hoc est præceptum*

*Ioan. 15. 11.*

*mutuum, ut diligatis invicem. Et ite-*

*rum: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hoc dilectionis, & 27.*

pacis camentum Dei Filius proprio temperavit sanguine, quò tenaciùs vivi lapides hoc invicem conglutinantur, ita ut nec portæ inferi adversus hanc structuram, novæ Ierusalem, ædificatæ, civitatis instar, prævalere possent.

Sed, quia paulatim camentum hoc dilectionis & pacis decidere, & charitas multorum refrigerare cœpit, foris bella, intus exorta seditiones, magnam in murorum ac turrium partem, amplas provincias, & regna destruxerunt, & dum foris gladius, intus mors similis illi, grassabatur, privatio scilicet charitatis, & unionis, ac separatio animorum, hinc dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Ita ut per ruinas murorum ascendere vulpes, & irrumpere fera facile potuerint. Lapidis vivi, quadrati, & fortes, fuerant Christiani in Imperio Orientali, turris manita Ecclesie fuerat Patriarchalis Sedes Constantinopolitana, turris eminentissima Palaestina, à tot viris sanctis inhabitata, murus insuperabilis Egyptus, tot Aseetarum famosa sanctitate celebris, munimentum forte Ecclesie erat Græcia, tot sanctorum Patrum, & Doctorum propugnaculis insignitum, sed dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum, & vix rudera harum turrium, murorum, ac monumentorum

V. *Hoc dicitur.*

Th. 4. 11.

*Dispersi sunt lapides sanctuarii.*



tum Ecclesiae licet cernere. Et quisnam haec omnia devastavit, non aries, non gladius, non robur exercitus, non barbarorum ferocia, non hostium immensus numerus, structura hujus fortitudinem deicere potuisset, si firmiter sibi invicem charitatis, & unitatis cemento lapides cohaesissent, sed per similitates, animorum alienationes, & discordias ab invicem dissoluti, dispersi sunt in capite omnium platearum.

conuncti, sicut vulpes Samsonis, *conuncta caudae, factus visus est unus*, ut idem Seraphicus scribit. At licet subinde facibus sint conjuncti Christiani, maxime properes, & magnates, corde tamen divisi sunt. Et quid inde? *divisum est cor eorum* (infert Oseae 10. *scis*) nunc incribunt. Haec enim est humanarum rerum necessitas, sociata augeri, aut a dividi, *divisa perire*.

Discordia fecit, charissimi fratres, fecit discordia, ut tot Christiani orbis provinciae & regna ab invicem dividerentur, divisa perirent. *Haec enim humanarum rerum necessitas* (ait praclare Emmanuel) *sociata augeri, aut a dividi, divisa perire*. In primitiva Ecclesia, quia animi erant uniti, & sociati, quia multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, augebatur credentium in Domino multitudo, quia sociata augentur. Sed merito altis suspirijs ingemiscens exclamat Dominus meus Seraphicus: *O quam dissimilis est nunc multitudo credentium, quorum non est cor unum, sed plane diversum per discordiam, nam, teste Antonio nostro Paduano, Discordia dicitur, id est, diversa corda, discordare est habere cor diversum, & subinfert rursus Dominus Seraphicus: Tales enim Christiani nominantur, bene ergo sunt nomine, non corde. Quia scilicet non corde, sed nomine tantum sunt*

Ratio politica, & interesse proprium, ut pro temporum conjunctura ad conservationem individui, interelie specificum seponatur, & non aeterna totius corporis, aliorumque membrorum conservatione, unum membrum ab aliorum consilijs, & communitate divinum privatae consulat utilitati; sed mentitur iniquitas sibi, dum enim destruitur totum, etiam partes interire necesse est, & languente toto corpore, aut principalioribus saltem membris consumptis, etiam de privata cujuslibet membri salute conelamatum est, necesse est enim *divisa perire*.

Emmanuel Theodorus in eulogijs de Abraham Et de fructu.

S. Bonaventura. Dom. 4. leuec. S. Anton. Domin. Passionis. Christi. ne nomine, non corde conuncti.

Refert Titus Livius, tumultuosam plebem Romanam (quod minus utilitatis sua cura esse senatui suspicaretur) ex urbe in sacrum montem excessisse, sava omnia Patribus conscriptis militantes, ad quam delegatus Menenius Agrippa, periculosam illorum, sub utilitatis privatae spe & praetexta factam, scissionem, atque separationem, hoc, licet

Oseae 10.

VI.

Dyarens. per scissionem interesse proprium.

Cum reliquis perit

Livius dec. 1. 2. Apologus d. stomacho.

Cccz licet





licet simplici, apologo luculenter exposuit. Ferunt indignatas reliquas partes, suam curam, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum, nihil aliud quam datis voluptatibus frui; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse; inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hanc, quo vivimus, vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset ira plebis in Patres, flexisse mentes hominum; asserit Titus Livius. Agi deinde Concordia ceptum. Dum scilicet agnovit ex brevi, & solida Menenij oratione plebs Romana, nullam sive in publicum, sive in privatum odium scissionem fieri posse, quin ea in propriam etiam redundet ruinam: impossibile quippe est, divisiva non perire.

VII.  
Navis  
divisa,

Navis quandiu partibus sibi bene connexis, ac bitumine solidè linitis constat, nullis exurgentium undarum procellis mergitur, at navis quantumvis magna, si scissuras patitur, & divisiones, extremo patet interitus periculo. Hinc scissionum, ac discordiarum periculum, optimè expressit ille, qui navi per scissu-

ras laesa, hæc apposuit verba: *divisa mergitur*, quæ bene compacta nullum, quod timeat, habet periculum.

Terram diluvio deleturus iratus Deus, ad salvandas singulas animalium species, unicamque justi Noe familiam, mandavit isti, ut Arcam sibi fabricaret de lignis levigatis, id est, dolatis, & perpolitis, tum ad arctiorem, & aptiorem compagem, tum ad elegantiam, tum ut commodius illinirentur bitumine, uti observat Cornelius, quod expressè præcepit Deus, *Et bitumine linites intrinsecus, & extrinsecus*. Mystice exponit hunc locum de Ecclesia Hugo Cardinalis: *Fac tibi Arcam, verba sunt Patris ad Filium, præcipientis, ut ædificet sibi Arcam, id est, Ecclesiam*. Et hanc quidem bitumine linites intrinsecus, & extrinsecus, *Bitumen, quod est gluten indissolubile, significat charitatem Ecclesie*. Quamdiu Arca Ecclesie hoc charitatis & unitatis bitumine fuit linita, inter omnes adversitatum procellas, gentium, Judæorum, & hæreticorum insultus stetit imperterrita, & infracta, sicut enim navis bene compacta, & bitumine illita nullo aquarum impetu mergitur, sic *Aquæ multa* (tribulationum & persecutionum) *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, nempe charitatem, & quamdiu hæc stabit immobilis, etiam insuperabilis permanebit

Ec-

Mergitur

Genes. 6. v. 14.

Arca Noe

Linita bitumine

Hugo hic.

Est Ecclesia

Linita charitate, & unitate

Cant. 8. 7.



Ecclesia, aquæ multæ, imò nec portæ inferni prævalebunt adversus eam, sed compage, & bitumine charitatis soluto, *divisa mergitur*. Non quòd Ecclesia universalis vel mergi, vel perire omnino possit, sed bene partes divisa, & Ecclesiæ particulares, per discordiam & scissionem ab Ecclesia universali iusto Dei iudicio, separandæ, & mergendæ. Unde Orientale totum Imperium ab Ecclesia Catholica penitus abscissum in Saracenorum manus devenit? *Divisum mergitur*, ob internas scissiones, & ipsas Christianorum discordias, qui urbem Constantinopolitanam è faucibus immanis Turci- ci Cerberi eripere neglexerunt, ipsi inter se divisi. Quis Cyprum, quis majorem partem Hungariæ, quis novissimè Candiam, quis magnam partem Podaliæ, & Polonia, Turcarum potentia subjecti? Discordia tam intestina ipsorum regnorum, quàm aliorum principum Christianorum, ob similitates succursum denegantium: Quæ causa, quòd hodièque Romanum Imperium, & Germaniæ nostræ insuperabilis potentia ita profundè mergitur, & pene submergitur? Discordia. *Divisa mergitur*. Hæc enim humanarum rerum necessitas: *Divisa perire*. Infallibilis enim est consequentia: *Divisum est cor eorum, Ergo, nunc interibunt*. Iam actum est:

facta divisione, & scissione, perire necesse est.

Unde cum Discordia ad interitum, & damnum, non tam privatam, quàm publicam Ecclesiæ vergat, non mirum, quòd summè Deus eam abominetur. Obtulit corpus suum sponte tortoribus flagellandum, & vulnerandum, Unigenitus Dei Filius, neque ullum à verberibus, & dolorosis plagis membrum totius corporis esse immune voluit, & flagellis, & spinis, & clavis, & lancea totum se exponens, ita ut neque sanguinis gutta in corpore remanserit, quàm pro salute nostra non effuderit, etiam reliquum illud sanguinis, quod in cordis arario reconditum habebat, lancea hauriendum volens. Interim tamen non exigua admiratione dignum est, quòd Dei Filius ullum à se invicem separandum membrum, imò nec os comminuendum caverit: *Os non comminuetis ex eo.*

Imò neque admittere sustinuit, ut tunica sua inconsutilis, desuper contexta per totum, inter milites scissa divideretur, sed quid tanta Dei Filio de tunica sua cura? Nempe ob singulare mysterium, & doctrinam, indivisum esse voluit Christus tunicam suam inconsutilem, *Hoc unitatis Sacramentum*, S. Cyprianus, *hoc vinculum concordia*, asserit S. Cyprianus; Tunica enim inconsu-

Ccc 3

su-

*Divisa  
mergitur.*

*Discordia  
regnum  
ruina.*

*Tunicam  
Christus  
noluit  
scindi.*

*Ioan. 6.  
v. 36.*

*Quia de-  
notabat  
concor-  
diam.*



futilis, & vestis Christi est Uni-  
 tas, Concordia, & Charitas, uti  
 bene etiam adverte meus Sera-  
 phicus, qui etiam bene confide-  
 randum monet, quod alia vestes  
 sicut vel de velleribus animalium,  
 vel vestis lancee; vel de corticibus her-  
 barum, sicut vestis lineae; vel de visceribus  
 vermium, vel vestis sericeae: Vestis au-  
 tem charitatis sit ex gratia Spiritus  
 sancti, & de visceribus Christi: Unde  
 figurantur dicit Apostolus: Induim-  
 us Dominum nostrum IESUM Chri-  
 stum. Quae quidem a qua de Cha-  
 ritate Dei, ac proximi intelligi  
 possunt, quam lacerari & scindi  
 severissime prohibet Deus. Ali-  
 ter, & congrue ad intentionem  
 nostram Magnus Achanasius: Fi-  
 deles Christi sunt vestes, propter hoc  
 noluit vestem dividi, quia super om-  
 nia voluit pacem & unitatem conser-  
 vari. Idem docet S. Augustinus  
 sermone in festo Ascensionis.

Factum  
 ex vice-  
 ribus  
 Christi.

S. Bonav.  
 diat. t. t.  
 s. c. 2.

Rom. 1.

S. Acha-  
 nasius.  
 Fideles  
 sunt ve-  
 stes Chri-  
 sti.

IX.  
 Disor-  
 dia dicitur  
 dicitur vestes

S. Bonav.  
 serm. 2.  
 Dom. 27.  
 Trinit.

Eadem ratione, quia per cor-  
 pus Christi Ecclesia, per membra  
 autem fideles ( quorum Caput  
 Christus est ) significantur, ideo  
 os in corpore suo confringi, aut  
 membra a membro divelli non  
 est passus. Hinc pessimum illo-  
 rum, & Deo maxime exosum  
 crimen infert Doctor Seraphi-  
 cus; scissionem fraternae chari-  
 tatis, & rupturam concordiae:  
 Ecclesia (inquit ille) scinditur, quae  
 est Tunica Domini inconfutibile; un-  
 de rancorosi peiores videntur Cruci-  
 fixoribus, qui doxerunt: Non scin-  
 damus eam. Sed pergit ulterius

argumentari Seraphicus: Imo Et mem-  
 non solum tunicam, sed & membra  
 Corporum Christi scindunt, quod Cru-  
 cifixores non fecerunt; vides ergo,  
 quam periculosum sit odium frater-  
 num, scissio charitatis, & con-  
 cordiae, per quam non solum  
 Tunica, sed ipsum Corpus Chri-  
 sti, Ecclesia scilicet scinditur, &  
 destruitur.

Quare sermo pro confervan-  
 da Ecclesiae integritate, ac quie-  
 te monet Apostolus: Obsecro ita-  
 que vos ego vincens in Domino, ut  
 digne amuletis vocationem, qua vo-  
 cati estis, solliciti servare unitatem  
 spiritus in vinculo pacis. Addit  
 que efficax motivum. Unum  
 corpus, & unus spiritus, sicut voca-  
 ti estis in una spe vocationis vestrae,  
 ac si diceret, cum in unum cor-  
 pus, & quasi ad unum spiritum  
 vocati sitis, etiam spiritum u-  
 nitatis habere necesse est. Con-  
 cludit etiam pacis & unitatis ad-  
 hortationem alio motivo Do-  
 ctor gentium: Unus Dominus, Sub uno  
 una fides, unum baptisma. Cuius er-  
 go ( glossatur Cornelius ) unum  
 omnes habeamus Dominum, unam  
 fidem, unum baptisma, quid te-  
 stat, nisi ut tot vinculis colligati,  
 imò uniti, amemus, colamus, &  
 servemus hanc spiritus unitatem?  
 Per quam & Ecclesiam, & nos-  
 metipfos confervabimus.

Carbones igniti invicem jun-  
 eti seipfos in calore vivos con-  
 servant, disuncti emoriuntur: extin-  
 Unde bene de his: Extinguimur,  
 si dis-

Unitas  
 nobis ser-  
 vanda.  
 Ephel. 4.  
 v. 1.  
 Quia su-  
 mus unum  
 corpus.

Sub uno  
 Domino.  
 Cornelius  
 hic.  
 Sub una  
 fide.

Carbones  
 distincti,  
 extin-  
 guuntur.



si distinguimur. Sic & fideles quam-  
 diu sollicitè conservant unita-  
 tem pacis, etiam ferventem, &  
 ignitum Dei spiritum in se con-  
 servant, sed divisi extinguuntur,  
 & emoriuntur. Extingui-  
 mur, si distinguimur; Ne er-  
 go extinguamur, non distin-  
 guamur, sed in unum spiritum,  
 & in unum corpus vocati, etiam

in unitate, & pace colligati ma-  
 neamus, ut tanquam commem-  
 bra Christi, & concives terre-  
 stris Jerusalem, quæ ædificatur  
 ut civitas, etiam ad illam, quæ  
 superius est Jerusalem perve-  
 nire, ibique Deum de facie ad  
 faciem aspiciendo, securâ pacis  
 æternæ visione gaudere  
 mereamur. Amen.



DISCUR-



## DISCURSUS XLVI.

Res.

Quoniam amaritudine plena sum; foris interfecit gladius, & domi mors similis est. *Thr.*

*c. I. v. 20.*

## DE ANIMA.

*Amaritudo, & angustia mortis, quæ peccatricem animam è corpore egressuram premunt, per amaram, & dolorosam Christi mortem mitigantur. Annectuntur quadam pia exercitia pro felici morte.*

I.  
*Angustia  
peccatoris  
morientis.*

**A**maritudine utiq; plena fuit Ierosolyma, si-  
ve intra, siue extra mu-  
ros, vel domos suas,  
oculos conjiceret: nam foris in-  
terfecit gladius omnes, qui extra  
mœnia inveniebantur, & domi,  
intra civitatem, mors similis est,  
quia aliqui moriebantur fame,  
aliqui gladio, & aliqui lapidibus  
per machinas injectis, aut etiam  
terrore, quo mortem, & gla-  
dium Chaldæorum irumpen-  
tium in horas expectabant. Uti  
passim scripturales exponunt.

Ad moralē, & tropologicum  
sensem se demum convertit  
*Corn. hic. Cornelius: Sic tropologicè pecca-  
tor, foris flagellis divinis, intus pavore*

damnationis concutitur, & magis  
concutietur in morte, iturus ad iudi-  
cium. Tantæ sunt hæ animæ pec-  
catricis à corpore per mortem  
separandæ, amaritudines, ut cum  
afflicto Ezechia Rege ex intimis  
gembunda visceribus exclamare  
videatur: *Ecce amaritudo mea amarissima,*  
*mea amarissima,* nempe (uti Ly-  
ranus exponit) *Amaritudo mortis*  
*mibi imminentis, amarissima,* ma-  
ximè cum foris, gladius iudicii  
severissimi excipiat. Ad conso-  
landas tamen animas peccatrices  
amaritudine mortis plenas in præ-  
senti exponam, qualiter mortem  
per se amarissimam, Christus mor-  
te sua pretiosissimam mitigatam,  
etiam dulcem, & consolatoriam  
nobis efficiat.

Gene-



II.  
Christus  
provoca-  
vit mor-  
tem,

Generoso animo ad duellum mortem provocaturus Dei Filius, & campum certaminis, & arma, ab æterno sibi delegit, palam attestatus, desiderio se desiderare destinatum indicto certamini diem. Cùm tamen post cœnam extra urbem cum selectis suis discipulis egressus in montem Oliveti, hunc primo congressui, ac certamini destinatum locum, hostisque tremendi adventum contemplaretur, impressa animo suo profundissimè cruenti certaminis imagine, Cœpit pavere, & tædere, & mœstus esse, tanto intrinsecus tremendo mortis concussus horrore, qui sanguineum etiam ipsi expressit sudorem; & factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.

Imminen-  
tem exhor-  
ruit.

Luc. 22.  
44.

amaritu-  
dinè mor-  
tis,

Luc. 23. 4.

sicut san-  
guisuga à  
nobis ex-  
traxit.

Sed ne hisce angustijs, tædio, pavore, mœstitia, ac sudore sanguineo fractam Christi generositatem opinemur, quod enim cum morte configendi desiderium, & animum ab incunabilis suis concepit, ad extremum usque halitum constanter, & fortiter tenuit. Quod autem pavere, tædere, mœstus esse, & sanguineum effundere sudorem cœpit, in nostram actum fuit utilitatem, & gratiam, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Septuaginta vertunt: Ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Sicut enim sanguisuga agro corpori admota, sanguinem malignum in se attrahit, ad evacuan-

dum malignitate corpus infirmi, sic quasi Christus malignitatem reatus à nobis extrahens, eam in se suscepit, peccata, infirmitates, languores, ipsamque mortis amarissimam amaritudinem ipse portavit, ad sublevandum nos. Optimè insinuat hoc S. Bernardus: Quid magnum fuerat Domine Jesu, si accedente hora, propter quam veneras, intrepidus stares? tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo eam tollebat à te. An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed & cordis affectio pro nobis faceret? Et quos vivificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia letos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos. Dum enim mœstus & pavidus ad Patrem clamat Dei Filius, ex nostra hoc magis persona, & ad nostram hæc gesta fuisse confortationem paulò superius idem mellifluus advertit. Agnosco planè in duce belli, pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, qui sua trepidatione nobis cōferre robur, desolatione impertiri consolationem, & sua amaritudine nobis mortis amaritudinem dulcem facere festinat.

S. Bernar.  
serm. 1. de  
S. Andra.

III.  
Cortices  
amari po-  
morum au-  
reorū dul-  
corantur  
sa. caro.

Experientia monstrat cortices aureorum (ut vocant) pomorum ita esse amaros, ut non solum linguam & palatum sua amaritudine molestant, sed etiam manus & di-

F. Franc. Josephi Op. IV,

D d d gi-





gitos eadem amaritudine inficiant. Sic etiam rose innata sua aliquantula amaritudine & arida siccitate, sicut odori grata, ita saporis sunt ingrata & insipida. Has tamen gustui inamoenas rosas, & amara poma aurea, speciales sive pigmentarij tam artificiosa dexteritate norunt saccaro condire, ut & cortex totus pomi aurei, & folia rosarum ita saccarum liquefactum, & calefactum imbibant, & penetrantur dulci illo liquore, ut tota quasi in illum transformata, æque salubria stomacho, ac amœna, & delicata gustui reddantur.

*sic mors  
nostra,  
morte  
Christi.*

Haud secus mortis angustia, pavores, & amaritudines humano generi erant radiosissima, & tremendissima, amaritudo mea (mortis mihi imminentis) amarissima: sed postquam Dei Filius, radio, mœstitia, pavore, & desolatione sua hanc mortis amaritudinem extraxit, & in se attraxit, pretiosissimi interim sanguinis, passionis ac mortis suæ commixtione eam contemperavit, ita mortem amœnam, dulcem, & gustosam effecit, ut certatim ad eam sancti Martyres tanquam delicatissimas epulas concurrerent, nunquam se ita splendide epulatos fuisse contestati. Hanc morti dulcedinem morte sua pretiosissima, & dulcissima dedit Filius Dei, alias de se utique amarissima, & horrenda.

*Martyres  
ad moriẽ,  
tanquam  
ad epulas  
concurrerunt.*

Mortem, tremendum homini-

bust tormentum esse, & crucem, negare non potest Doctor mellifluus: Vide, quomodo mors te crucifigit? Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupefunt, vultus horrescit, facies exsudat, & morte tacta pallescit; Et hæc utique, quæ videmus de foris, & quæ sentimus, levia sunt ad ea, quæ intus anima miserabilis iam degustat. Nam domi, intus mors similis, inò multò amarior animæ est. Sed quomodo horrendæ hujus crucis amaritudo, animæ eam degustanti tremenda, aut moderari, aut dulcorari potest?

Narrant sacra pagina, popululum Israëliticum ex deserto Sur devenisse in Mara: Nec poterant bibere aquas de mara, eò quòd essent amara, unde congruum loco nomen imposuit, vocans illud Mara, id est, amaritudinem. murmurante ergo populo contra Moysen, iste solitum suum refugium sumpsit ad Dominum, clamando ad eum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Adduxit nos Pater noster protoplastes in terram Mara, in amaritudinem mortis, quæ merito Mara, id est amara, & amaritudo amarissima dicitur.

Legimus in Regum historia, mandasse Eliseum Prophetam filijs Prophetarum, magna famis instante necessitate, colligendas in agro herbas, in pulmentum coquendas, unus autem illorum

vene-

S. Bernar.  
serm. de  
villico  
inquit.

Mors ho-  
minis cru-  
cifigit.

IV.  
Exod. 15.  
23.

Aquamar-  
ra.

per lignum  
dulces fi-  
unt.

4. Reg. 4.  
38.



Pulmen-  
tum olla,

venenosas, & amaras, inter alias herbas, collectas colocynthidas olla iniecit, quibus amarum redditum fuit pulmentum, ut desolati filij lachrymofa voce ad Prophetam exclamare inciperent: *Mors in olla, Vir Dei.* Sed modica farina pulmento injecta, non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.

mortis, de qua conquerens Dei Filius apud regium Prophetam exclamat: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aque usque ad animam meam.* Hoc dicendo (ait Ordinaria) in se transformat membra, quibus amarus est transitus mortis. Hanc autem in se deglutivit Christus, & amaras mortis aquas, sua cruce, passione, & sanguine dulces fecit.

Psal. 68. v. 1. *Qua dulcora facit mortem.*

v. 40. per farinam.

Ecc. 38. v. 4.

An maritimaliter?

Sunt quidem, qui existiment tam farinam in olla, quam lignum in aqua, naturalem dulcorandi habuisse facultatem, atque virtutem, quod indigitare videtur Ecclesiasticus: *Altissimus creavit de terra medicinam: nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Licet aliqui apud Lyranum judicaverint quòd lignum istud de natura sua erat amarum, & sic fuit ibi majus miraculum, in quantum per ejus (licet amari) immisionem, dulcorate sunt aquae, & factae potabiles.

Eadem ratione ollam mortis venenati & vetiti fructus collectione amaricatum, granum frumenti purissimum, Christus Iesus, in passione sua contritum, dulcoravit, hortuerant prius hanc ollam etiam viri alias generosi, & insignes, ut Moyses, David, & Helias, qui mortem in olla persecutionis sibi paratam animadvertentes, fuga vitae suae consulerunt, *Mors in olla.* Quamta avidissimè esurierunt Martyres Christiani, etiam tenerrimae, & nobilissimae virgines, ut illi tantam obsonii avidissimè inhierent, & aquam mortis, Christi cruce sanatam, tanquam nectar dulcissimum plenis buccis haurirent, ipsis obstupescens tyrannis.

V. Olla mors

Dulcorata per Christi granum frumenti.

Glossa Moralis. Lignum est Crux, seu Passio Christi.

Sed quicquid de hoc sit, sive naturali, sive supernaturali virtute lignum istud dulcorandi vim habuerit, mihi sufficiat, quòd Glossa Moralis asserit: *Per lignum autem intelligitur crux, id est Passio Christi, quae si mittatur per fidem charitate formatam in cor hominis repletum aquis tribulationis, vertit illas in dulcedinem, per virtutem patientiae, & spem retributionis aeternae.* At quanam aquae tribulationis magis amarae, & sua amaritudine intima cordis, & animae repletas, quam ipsa amaritudo

Unicornium, puritatem & virginitatem maximè amans, quod etiam in sinu virginis omnem deponit iracundiam, cum torrentem, vel lacunam bibiturum ingreditur, cornu prius in aquas immergendo, eas ab omni malignitate,

Unicornium aquas purificat cornu.





tate, & veneno purificat, hinc de illo: *noxia pellit*. Unicornij titulo gloriari videtur Dei Filius: *Dilectus, quemadmodum filius unicornium*. Hic operatione sancti Spiritus in utero virginis conceptus, in eo omnem iram, ac vindictam ardorem deposuit, & aquas mortis, venenatas omnino, & amaras à se contactas, & per cornu sanctae Crucis sanatas, potabiles eas, salubres, ac dulces effecit: *Noxia pellit*, ut nemo jam sapiens, ac sacratissimae Passionis Dominicae memor, mortem aut nocivam, aut tremendam esse, asserere praesumat.

*Apis fert in ore mel* Nemo est, qui mirabilem Creatoris sapientiam in apibus non admiretur; quid enim eorum regimine, ordine, & opificio mirabilius unquam natura, vel potius ipse auctor naturae, produxit? Mel, quod ex floribus artificioso labore colligunt Apes, quivis colligendo certaret, nisi illae, quae ore portant dulcedinem, simul etiam favo minarentur aculeo. Apis, est Mors, ex cuius solius ore nobis aeternae beatitudinis dulcedo praeparatur, nec sine morte praviam aquiri potest: hujus mellis dulcedinem, nemo est, qui non appetat: sed quoniam Mors pungentem, & venenatum gerebat aculeum, omnes eam horrebant mortales.

*VI.* Sed quemadmodum apis, cum semel alicubi aculeum suum fortiter infixit, infixum, & vulne-

rato inhaerentem corpori amittit, eoque amisso, ut aiunt, emoritur. Sic mors aculeum suum Dei Filio infigans, fatalem sibi ipsi victoriam tulit, nam Dei Filium venenato, mors petens aculeo, ita fortiter fixit, ut pavere, tædere, & moestus esse caperit, ac proinde aculeus fortiter infixus Christi Corpori sacratissimo inhaesit, sic amisso, mors aculeo devicta: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne.*

Sed si tot millionibus hominum impunè aculeum mors infixit, cur eum in solo Filij Dei Corpore infixum amittit? Notum est, aculeum ab Ape in corpus mortuum, infixum, non inhaerere, hoc enim calore, & mollitie privatum, aculeum non tam tenaciter capit, sicut corpus vivum. Mors suo aculeo omnes filios Adae configens, non nisi mortua offendit corpora, nam *corpus quidem mortuum est, propter peccatum*, testatur Apostolus, omnia ergo emortua (per peccatum originale, aut etiam actuale) corpora hominum impunè mors venenato suo confixit aculeo, sed cum virgineum etiam, vivum non solum, sed etiam vivificans Dei Filij Corpus contigisset, ita quidem fortiter infixit, ut in ipsum omnem suum effundens horrorem, & venenum, pavere, & timere fecerit, sed pro nostra utilitate, & consolatione, ibi haerentem mors aculeum amittit, cui insul-

tans

*Psal. 28.*

*v. 6.*

*Sic Christus cornu crucis.*

*Apis fert in ore mel*

*In cauda aculeum.*

*VI.*

*Mors apis*

*Amisit aculeum.*

*Osee 13.*

*v. 14.*

*In vino à peccatis corpore Christi.*

*Rom. 8.*

*v. 10.*

*Morti in sola venenat dulcedo.*



1. Corint. 15. v. 55. rans exclamat Apostolus: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Nonne hunc vivo Dei Filij Corpori infixum amisisti? Ut morti, tanquam Api, sublato aculeo, nihil jam venenatum, & horribile, sed solaremaneat mel-lis dulcedo.

VII. Nunquid adhuc mors amara? Non deerit fortè, qui ob-  
 ciat, esse has subtiles quidem, & pias ac devotas speculationes, aliter autem longè nos à praxi, & ipsa experientia discere, dum mortis amaritudinem amarissi-  
 mam cum maximis suis angu-  
 stijs, horrido sudore & tremore hodièque experiantur moribun-  
 di. Respondeo ad hanc objectio-  
 nem, non esse ipsam, solamque præcisè mortem, quæ talem ama-  
 ritudinem, & angustiam causet, si enim hæc amaritudo esset mor-  
 ti essentialis, vel saltem proprium quarto modo, omni, soli, & sem-  
 per morti conveniret, cum tam-  
 en pretiosa sanctorum, præser-  
 tim Martyrum, mors nil tale ex-  
 periat, sed summam secum fe-  
 rat delicias, & consolationem.  
 Unde amaritudinem hanc acci-  
 dentariam morti esse, & aliunde per accidens supervenire necesse  
 est, videlicet vel ex nimia ad  
 mundum, mundana conglutina-  
 tione, sic divites, & delitiosi cum  
 Agag pinguissimo exclamant:  
 1. Reg. 15. 32. *Siccine separat amara mors? Vex*  
 angustiante rea conscientia, de  
 peccatis commissis, bonis omif-  
 lis, & de jactura temporis, ac of-

fenso Deo male sibi conscia. Est  
 ergo stimulus mortis peccatum, uti  
 bene hunc passum ad hunc sen-  
 sum explicat Cornelius: *Mors per*  
*peccatum, & per peccati conscien-*  
*tiam, quasi stimulus, nos stimulat, &*  
*pungit, dicens animæ: moreris meri-*  
*tò, pateris, quia peccasti.* Licet au-  
 tem & peccatum & stimulus  
 amarum in se susceperit, & con-  
 fregerit Christus, nos autem ite-  
 ratis peccatis nostris morti novos  
 subministramus stimulos, &  
 aculeos, hinc est, quòd arrepta  
 ex peccatis nostris occasione ma-  
 ligni spiritus, tantas nobis injice-  
 re angustias, pusillanimitates, &  
 perplexiones præsumant, etiam  
 ad desperationem, nisi divina  
 nobis assisteret gratia, præcipi-  
 tandis.

Tales ergo ob cõmissa præteri-  
 ta angustiatas animas consolatur  
 illuminatus Joannes Thaulerus, Joann.  
 animo revolvendam suadens, Thaul.  
 maximam Dei bonitatem, & cle-  
 mentiam, qui non vult mortem  
 peccatoris, sed ut convertatur &  
 vivat, & non solùm culpas om-  
 nes quantumvis gravissimas con-  
 donare paratus est, sed ad ultimũ  
 usque halitum summa sollicitudi-  
 ne ad conversionem peccatores  
 invitat, & vocat: *Idè, multò fide-*  
*lius, ac libentius, quàm tu vel queas*  
*estimare, vel ille amicu suis velit reve-*  
*lare. Ea propter non est, ò homo Chri-*  
*stiane, cur peccatorum magnitu-*  
*dine desperes. Pius Deus, cor contri-*  
*tum, & humiliatum non despiciet.*

D d d 3

Huc



Huc etiam faciunt consolatoria, Beati Henrici Sufonis, verba, in epistola quadam ad moribundum amicum conscripta: *Vnum est, quod multos inexpertos in morte perterrere solet, eiusque affert mortem acerbam, & anxiam: id videlicet, quod dum prateritos annos, dissolutaque, & male transactam vitam suam reducunt ob oculos, grandi se debito, Deo obligatos sentiunt, neque in illa hora satis perspiciunt, quid ad id facere debeant. Perplexis ergo istis, & angustiatis moribundis, nimium timorem suadet deponendum. Ut hinc possis omnino securus evadere, si quidem in diebus tuis perperam te vixisse nosti, sicut pauci a vitis immunnes vivunt, inde non nimium in extrema hora terrearis. Inde ulterius sanctis Ecclesie Sacramentis moribundum rite munitum hortatur.*

*Recurrat ad plagas crucifixi.* Crucifixi imaginem tibi ob oculos stantem, eamque intuearis, & tuo apponas pectori, atque in sanguinolenta immensa misericordie eius vulnera te reclina; obsecrans eum, ut in cruentis vulneribus suis, divina virtute sua, cuncta peccata tua abluat, pro sua laude, & tua indigentia, vel necessitate; Ac deinde, fide mea, securus esto. Juxta Ecclesie Catholicae fidem, qua nulla ratione fallere potest, si id firmiter possis agere, à cunctis te mediis penitus absolutum esse, & hilariter posse mortem oppetere.

IX.

Testatur etiam pramemoratus Joan: Thaulerus, esse probatam, ac sanctorum virorum auctoritate roboratam devotionem,

maximèq; moribundis utilem & consolatoriam, si sequentia illis verba praelegantur, ab iis etiam, si non ore, saltem corde proferenda: *Domine Deus, ego sum miser homo ille, quem tu pro paterna bonitate, & potentia tua creasti, propter teipsum, & ad teipsum.*

*Domine Iesu Christe, ego sum ille miser, quem tu per ignominiosissimam, & innocentissimam mortem tuam redemisti, ab omni potestate inimici. Tu ergo solus imperium habes, & potestatem super me.*

*Domine Deus, ego sum homo miser, quem tu salvare potes, secundum abyssum misericordiae tuae.*

Per istas ac similes devotas aspirationes maximè ad Jesum, hunc quidem crucifixum, ac sacratissimam ejus passionem, stimulus & aculeus mortis confringetur, ejusque amaritudo dulcorabitur. Neque ejusmodi devota exercitia ad mortis articulum differenda, sed robusto adhuc corpore, & animo exercenda, ac sacratissima ejus passio, & vulnera veneranda, & recolenda, & maximè etià ad diem Jovis, ac Veneris, quando agoniae, & exhalationis spiritus ejus in cruce, solemne signum campana datur, amarum ipsius agonem, & mortem recolamus, illis orationem nostram verbis concludentes: *O Domine Iesu Christe, per ultimum tuum agonem, & amarum derelictionem, ne derelinquas me, nunc & in hora mortis. Amen.*

Asse-



Thaul. in  
4. præpa-  
rationi-  
bus ad  
mortem  
ad finem.  
mihî fol.  
842.  
Christus  
inlibus in  
morte as-  
suet.

Afferit insuper sæpe dictus Thaulerus, audisse devotum Dei servum, conquerentem sibi Dominum, quod homines tam parum ipsius SS. Passionem mente recolant; Cum autem devota illa persona à Domino quæreret, quamnam ab illo gratiam accipituri essent seduli passionis ipsius contemplatores, ac veneratores, inter octo utilitates, ac promissiones, etiam hanc, ultimo loco, tanquam omnium coronidem adjecit: *Quod in morte illi, adversus hostes ejus assistam, & de vita æterna ipsum factam certum, atque securum.*

X.  
Christus  
moriens,

Denique sicut Dei Filius exemplum se nobis præbuit in vita, maximè autem in morte sua in monte Calvaria, sic illum & vivendo, & moriendo imitaturi, de salute nos æterna maximè reddemus securos. Moriturus ergo Dei Filius in amaro pro nobis conflictu, afflictricem sibi voluit habere sanctissimam Matrem suam, non quidem ad suam necessitatem, sed suam consolationem, & nostram informationem. De quo quidam modernus ut pulchrè, ita & devotè scribit: *Quem Patri commendaverat spiritum, subiectam effusus in matrem, supremos halitus in illam dixerit, ut vel sic mundus agnosceret, nec se quidem sanctè mortuum sine Maria. Quæ ergo dulciter & consolatoriè ex hac vita migrare desiderat anima, ante omnia Matrem dolorosam Christo morienti as-*

Afflictricem  
matrem  
habere  
voluit.

Aloyf. lu-  
glaris in  
elogijs  
Dei ho-  
minis.

sistentem, veneretur, & ad idem maternum sibi officium præstandum in vita sua invocet.

Docuit gloriosissima Deipara S. Mechtildem, singulis diebus ter salutationem Angelicam pro felici morte recitandam, in hora mortis se illi asturam pollicita.

Post primum Ave Maria.  
*O Domina mea sancta Maria sicut Deus Pater per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, ita mihi, quaeso, ad sis in hora mortis mee expellendo à me omnem contrariam potestatem.*

Post secundam salutationem Angelicam.

*O Domina mea sancta Maria, sicut te Filius Dei tanta sui cognitione, & claritate donavit, ita in hora mortis mee, animam cognitione fidei sic illustrari & corroborari, intercede, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.*

Post tertiam.  
*O Domina mea sancta Maria, sicut Spiritus S. suam amorem tibi plenè infudit, ita in hora mortis mee dulcedinem amoris divini mihi infundi precare, ut omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.*

Cum eadem S. Mechtildis semel in Evangelio legeret: *Stabat iuxta Crucem Maria mater IESU, &c. & illa verba Redemptoris, quib' discipulo Matrem, & vicissim Matri discipulum commendabat, expenderet, Christum rogavit, ut se quoque Matri commendaret, Mox Christus eam Matri addu-*

S. Mechtildis à Beati sse V. Maria edo. Sa o-rare pro felici morte.

Post primum Ave Maria.

Post secundam.

Post tertium.

Stamen Duch B. Virg. 26. Febr.



*Mechtil-*  
*dis à Chri-*  
*sto se Ma-*  
*tri com-*  
*mendan-*  
*dam ro-*  
*gat.*

*Christus*  
*eam Ma-*  
*tri com-*  
 *mendat.*

cens, ac ad manustradens, dixit :  
En Mater mea , tibi hanc com-  
mendo animam , tanquam meip-  
sum, si coram te totus vulneratus  
jacerem , sicut tunc mei curam a-  
geres , & vulnera mea curares,  
tanta sollicitudine hanc animam  
curandam & consolandā suscipe,  
ubi & quando indigebit. Rursus  
tibi eam commendo , tanquam  
pretiosissimum thesaurum meū ;  
recordare, quanto amore pro ea  
captus, passus , & in Cruce mor-  
tuus fuerim. Denique illam , ut  
cordis mei delicias commendo ,  
non enim ignoras, delicias meas  
esse cum filiis hominum.

Post hac ad Christum Mechtildis:  
O benignissime mi IESU,  
num idem cuius hominum, istud  
petiuero , prestare paratus es?  
Imò verò , respondit Christus:  
Non enim apud me est acceptio  
personarum.

Quisquis ergo felicem, ac con-  
solatoriam habere mortem desi-  
derat, eadem cum S. Mechtilde  
precetur, à Matre, ut sibi mor-  
ienti assistat; à Filio, ut Matri  
ad assistendum se commendet,  
oret, ac amaram Christi passio-  
nem saepe contemplando veneretur,  
& dulcem sibi experietur mortem,  
Amen.



DISCUR-